

1991

C O D I C E S

1992

dringentesimo tricesimosexto. Nihil de his ad h. a. *Conspectus Hist. Univ.*

Ad Codicem compingendum postice adhibita est lacinia admodum vetusta rabbinici cujusdam Tractatus.

DCCCXII.

U. 112 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 292. 4. currente calamo exaratus I. continet varias Prolusiones Academicas, puta in Lecturam *Evangelii Lucae*, in Materias principales *Librorum Sententiarum*, speciatim in *Librum III. in I. in II. &c.* quarum omnium Thema illud *Lucae I. 78. Visitavit nos oriens ex alto.*

II. fol. 69. sequitur Lectura in II. *Sententiarum* hoc ingressu: *Circa primam distinctionem 2ⁱ Queritur Vtrum in temporis inicio deus fecerit mundum ex nichilo &c.*

III. fol. 257. accedunt *Dubia*, quae circa praedictum *Librum* moveri possunt. Autor nullibi proditur, neque id magno Eruditionis damno. Interim tamen ejusmodi Scripta, cum jam olim in serie *Codicum* suis numeris insignita sint, neque commode loco movere potui, neque penitus silentio premere volui, cum saltem veterum Academiae nostrae Doctorum *Αυτογεγραφα*, et Documenta sint, quanta industria rem illi scholasticam et sacra studia aevo suo promotum iverint. Id quod semel monuisse sufficiat.

DCCCXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 67 XV. Folior. 405. 4. calamo currente non uno conscriptus, rubricis tamen distinctus, et, ut p. notatur, quondam *Dominorum Stipendiatorum burse Rose* varia Professorum olim Academiae *Vindob.* Monumenta scholastica hac serie complectitur: 1) Prolusionem de dignitate Scripturae sacrae principio mutilam. 2) fol. 10. Prolusionem in Expositionem Prophetarum *Zachariae* et *Malachiae*. 3) fol. 16. Prolusionem in *Sententias Petri Lombardi*, praeciqueque *Librum III.* in qua Autor Collegam suum in *Sententiis* exponendis nominat *M. Cristannum de Hurben*, qui Canonicus et Decanus *D. Stephani* praefuit Academiae Rector 1443. et obiit 1467. 4) fol. 21. p. 2. Prolusionem in *Librum IV. Sentent.* in qua praeter praedictum nominantur Collegae *M. perichtoldus*, *M. Johannes de Giengen* et *F. Joh. Streler* Ord. Praed. 5) fol. 26. p. 2. Similem in *Librum I. Sentent.* e cujus decursu patet, memoratum *M. Perchtoldum* appellatum fuisse *Deychster de Norimberga*, et *M. Johannem Heydarff* 6) fol. 52. p. 2. Discutiuntur Quaesita et *Dubia* varia theologica, inter alia fol. 76. *Vtrum christianus honorantem se iudeum licite rebonorare possit. Respondetur breuiter, quod non.* 7) fol. 184. *Lectura 3ij Sententiarum.* 8) fol. 252. *Lectura quarti Sententiarum.* Atque his pluribus

1993

H O M I L E T I C I.

1994

bus immorari non est operae pretium.

DCCCXIV.

- U. 68 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. 4. currente, et, ut videtur, ipsius Autoris calamo perscriptus. Collectio est sacrarum Dictionum ad Populum M. *Petri Reicher de Pirchenwart* Canonici ad D. *Steph.* Receptoru Acad. bis annis 1425. et 31. functi, et an. 1436. mortui. Habita sunt illae ab a. 1420 — 36. nulloque temporis ordine coagmentatae, sed in fol. praevio manus aliquantum posterior ad tempus ecclesiasticum eas redegit. Plures earum in fronte gerunt et annum, quo, et locum, ubi propositae sunt, puta ad *S. Stephanum*, ad *Portam Coeli* &c. Materia Poenitentiae prolixissime omnium tractatur a fol. 221. ad fol. 245. In Sermone *Dom. IV. post Trinit.* ad *S. Stephanum* a. 1431. habito calamitates *Husiticae* describuntur, memorantur missi in *Almaniam* propterea *Cardd. Placentinus*, *Ursinus*, et nunc *Julianus* dictus *S. Angeli*, item auctoritas praedicandae Crucis facta *Domino Olomucensi*, ipsa demum *Bulla* fol. 104. pronuntiatur. Thecae anteriori inscriptum: *Liber Collegij Ducalis Wyen.*

DCCCXV.

- U. 199 Codex chartaceus lat. partim XIV. partim XV. Sec. Folior. 450. 4. confarcinatus e diversis Scriptis, quorum magna pars ad-

modum difficili manu exarata est, hunc in anteriore Theca Titulum praefert: *Posiciones magistrorum. Questiones naturales. Principia sententiarum. Collaciones ad clerum. Prioribus e Logica, Metaphysica et Physica Aristotelis* petitis immorari non est operae pretium. Pertingunt haec usque ad fol. 371. admixtis etiam quibusdam Quaestionibus theologicis. Ad Academiam *Vienn.* pertinere docent Magistrorum Nomina hinc et inde obvia, quae pro aliquo Historiae illius literariae subplemento servire possunt. Notissima sunt *Theodoricus Rudolphi de Hamelburg*, *Petrus de Pulka*, *Joh. Angerer de Mildorf*, de quo fol. 264. cras hora octava incipiet legere primum librum *Euclidis in lectorio ordinario*, *Cristannus de Grecz Regine*, *Joh. de Gmunden* &c.

A fol. 302. jam etiam miscentur Prolusiones, alique Sermones Academici in Collatione graduum habiti cum Problematibus simul disputatis, quorum unum fol. 325. ita subscribitur: *Posicio per quam respondi M. Sebaldo* (de *Ravenspurg*?) *Licenciato in Medicina Studij Montispeffulani et M. in artibus studij Wienn. Anno 1415. et pro tunc fui Decanus immeritus facultatis Arcium.* Loquitur hic *Johannes Angerer* supra et saepe alias nominatus, Praepositus deinceps *Gurnitzensis* in *Carinthia* et a. 1432. mortuus, unde recte concluditur plurimas harum Adlocutionum ab illius calamo profectas esse.